



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 11. Papæ Sententia de residentia, nec non ejus consilium de emendandis quibusdam corruptelis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

dentum mitteret, hortabatur, ac Mantuanum, & Seripandum Cardinales incusans Episcopos, qui hujus quæstionis decisionem petebant, insimulabat, quod adversus Dominum, & adversus Christum ejus conspirassent. Denique Mutinensem Episcopum tanquam turbidi ingenii Virum, ac tricarum studiosum traducebat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

§. XI.

*Papæ sententia de residentia, necnon ejus consilium de emendandis quibusdam corruptelis.*

Fervente Tridenti hac contentione Pontifex plures conventus Romæ haberi jussit, in quibus Cardinales ad sistendos mali progressus varia proponebant media, quamvis vero articulus de Episcoporum residentia Pontificis, ac Cardinalium auctoritati derogare crederetur, nihilominus Pius IV. in quodam Patrum Senatu declarabat, sibi videri, quod sententia Episcoporum, qui Residentiam ex jure divino descendere contendunt, validis inniteretur rationibus, eaque lex in omni eventu observanda esset. Eadem quoque Insulanus ad Lanfacum, qui tum in itinere ad Synodum constitutus erat, perscripsit, atque in literis suis hæc addidit: „Papa, ut Cardinalibus satisfaceret, pollicitus

Lett. de l'Isle au Lanfac  
9. Maij.  
Mem. pour le Concil. de Trente  
p. 183.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.  
tus est, quod ipsis deinceps Episcopus Romanæ Urbis magis vicinos conferre velit, ut ipsi suas Ecclesias, lustrare, ibidemque per majorem anni partem commorari valerent.

Porro Pontifex in eodem Patrum Senatu, cum Farnesius Cardinalis Spoletanum Episcopatum suum Fulvio Ursino cedere vellet, hanc cessionem rejecit, eo quod Farnesius regressum ad hanc Ecclesiam sibi reservare voluerit, quapropter Papa decrevit, ut omnes ejusmodi Regressus imposterum declararentur invalidi, permittis tamen iis, qui jamjam concessi fuissent: quinimo hanc in rem Bullam quoque edidisset, nisi per Cardinalium Congregationem fuisset præpeditus: insuper Sacræ Pœnitentiariæ Curiam emendabat, eique contra jus commune dispensandi facultatem ademit, simulque Insulano Franciæ Legato diploma tradidit, quo omnes Quæstores, ac Collectores, qui pro fabrica Divi Petri, aut pro diversis Conventibus Indulgentias prædicatum fuerant missi, revocabat, dicens, quod harum gratiarum dispensationem imposterum nulli committere, sed eas gratis ubique conferre velit, ut omnes corruptellæ tollerentur, quæ hac in re hucusque irrepsissent.